



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Conon Mart. 29. Maij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

bant. Clotharius, quod virum sanctum parum civili pro foribus morâ fatigasset, injuriam febriliter, quâ modestior factus, postidie S. viri palliolum osculis trivit, eoque intestinum ignem extinxit. Unicam literulam chirographi ejus delinxisse, monacho biennium ægro salutem fuit. Fugientem animam illustris femina filo de viri veste rapto retraxit. Alteri jam exanimi cum frigida vitam infudit. Unicâ voce flammam sopivit, Crucis signo compedes solvit, populatores agrorum utrosque extinxit, totas dæmonum catervas fugavit. Et tamen hic morborum, & ipsius adeo mortis triumphator, obitus sui diem non animo modo, sed oculis etiam ingerere non destitit; hoc ad lecti spondam epigrammate affixo, V. KAL. IUNIAS: id quod spectaret non ante intellectum est, quàm eodem die octogenario proximus decederet. Tu, si sapias, ne incerta hora te mortis fallat.

Omnem crede diem tibi illuxisse supremum.

Ex Suario.

Homo lenocinantem mundi gloriam sub iudicii sui calcibus deprimat, virorem carnis aridum jam pulverem credat, diem suæ vocationis tanquam speculum suis obtutibus semper anteponat; districtum ultima discussionis iudicium contremiscat. S. Pet. Dam. l. 1. ep. 17.

S. CONON MART. 29. Maij.

Nobilitatem CONONIS inde æstimo, quod totis elementis imperavit. Nam & ruentis fluvii impetum tam diu suspendit, dum homines ociosi transirent; & aliàs latè campos inundantem ad modestiam revocavit veteresque riparum leges

ges. Sed a & parentes, & filii, & officium vestrum discite. Ecce XII. annorum filium pater secum ad tyrannum ducit, idque orat, quod pauci orant parentes: *Liceret secum mori filium videre, vel ante se etiam; siave sibi fore etiam contra aliorum parentum vota; filio oculos claudere.* Sciret iudex totū CONONEM non moriturū, si in filio, hoc est, in dimidio sui, viveret. Itaque simul filium neci daret, si totum occisum patrem vellet. Nec verò non lubens comes iverat ad mortē patri filius utiq; sic scipio fessæ, & moriētis ætatis. Sed & facili aure preces tyrannus audiuit. Quare utrumque in craticulam abjicit, igne subjecto formidandam; in plumis diceret molliter decumbere, Oleo bulliente à flammis persundit; inungi ad luctam crederes. In succensam fornacem immittit; ut inter hortos cum patre filius deambulat. Suspendit patrem, appendit dulcem appendicem filium; flammis iterum subdit, manus invictas malleis frangit. Intereā canere illis arrisit; vis nosse quàm suaviter? non dubitavit vocem illis suam Angelus jungeret, quam ut primū illi audierunt, non placuit jam morari in vitā, illuc abierunt ubi canere Angelos nunquam non audirent. *Ex Baron. & Pet. de Natal.*

Frustrā appellamur Christiani, si imitatores non sumus Christi, qui ideo se viam dixit esse, ut conversatio Magistri forma esset Discipuli. & illam humilitatem eligeret servus, quam sectatus est Dominus. S. Leo serm. 5, de Nat. D.

B. ANDREAS DE CHIO M. 29. Maij

ANDREAM habes MARIÆ, ut paucis dicam, corculum. Iuvenis annos natus XXVII. cum

M 2

febrī